


4/99

KALENDIS NOVEMBRIBUS

MCMXCIX



RVMOR VARIVS



TOMVS 22

FASC. 130

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TURICENSI, in aedibus, quibus nomen *aeschlimann publicity* est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	27.--
In ceteris Europae terris	sFr.	32.--
In terris trans maria sitis	US\$	30.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:
Udalricus Aeschlimann lic.phil.
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Christina Meier-Portner

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam
RVMOR VARIVS ,c/o *aeschlimann publicity*
Rosenweg 7, CH - 8353 Elgg
INTERNET:
e-Mail: 113376.1317@compuserve.com
Homepage:
http://www.friends.bbb.ch/macdiga/rumor_varius

Institutum pecuniarium:
UBS, Zürich-Oerlikon
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TURICENSIS bei *aeschlimann publicity* herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	27.--
Europa	sFr.	32.--
Übersee	US\$	30.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:
Ulrich Aeschlimann lic.phil.
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout: Christine Meier-Portner

Druck: Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:
RVMOR VARIVS ,c/o *aeschlimann publicity*
Rosenweg 7, CH - 8353 Elgg
INTERNET:
e-Mail: 113376.1317@compuserve.com
Homepage:
http://www.friends.bbb.ch/macdiga/rumor_varius


Institutum pecuniarium:
UBS, Zürich-Oerlikon
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS P7-642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Mox annus 2000 p.Chr.n. aderit. Toto in mundo homines millenium tertium accipiendum et celebrandum parant, etiamsi secundum millenium die ultimo anni 2000 demum terminari mathematici dicunt.

Multi homines autem timent, ne ordinatra commutatione anni 1999 ad annum 2000 perturbentur, quod illae machinae nesciant, utrum annus 1900 an 2000 incipiat. Ne ante paradisi quidem portas haec difficultates subsistere videntur....Ecce imaginem iocosam, quam in hebdomalibus commentariis Helveticis nomine 'Weltwoche' inveni:




Year 2000 by Giorgio Cavazzano

Sponsored by A B A C U S

(Fons: Hebdomales commentarii nomine 'Weltwoche' (d. 22. m. Iulii a. 1999)

Praeterea petimus, cari legentes, ne obliti sitis nostri argumenti '**De alienis terris et gentibus**', cui libellum 5+6/99 dedidimus. Adhuc non multa scripta accepimus. Itaque pluribus symbolis nobis opus sunt, ut libellum hoc eodem millenio edere possimus. Maximas gratias!

Valete!

Daniel Weissmann

Proverbia Hispanica

Quien miel se hace, moscas le comen.

Eum, qui mel se facit, muscae comedunt.

*

Juegos, pendencias y amores igualan a los hombres.

Ludi, rixae amoresque viros adaequant.

*

Quien no sabe callar, no sabe hablar.

Ille, qui tacere nescit, loqui quoque nescit.

*

Sea milagro y hágalo el diablo.

Sit miraculum etiamsi diabolus faciat.

*

Cuando en verano es invierno y en invierno verano, nunca buen año.

Aestate cum est hiems et hieme cum est aestas, annus numquam bonus est.

Bien ama quien nunca olvida.

Ille, qui numquam obliviscitur, bene amat.

*

La verdad aunque amargue, se diga y se trague

Verum, etiamsi amarum sit, dicatur et feratur.

*

Cada hombre cuerdo lleva un loco dentro.

Omni in homine prudenti insanus inest.

*

No alabes lo que no sabes.

Ne laudaveris, quae nescis.

*

No hay amor sin dolor.

Non est amor sine dolore.

*

Al que yerra, perdónale una vez, más no después.

Ei, qui errat, primum ignosce, sed postea non iam.

La justicia no corre, pero alcanza.

Iustitia non currit, sed assequitur.

*

El ruin de Roma, en mentándole luego asoma.

Romae ruina si memoratur, statim apparet.

*

No es la miel para la boca del asno.

Mel asini rictui non convenit.

*


Ayúdate, que yo te ayudaré.

Adiuva te ipsum, ut te adiuvem.

In Latinum vertit Daniel Weissmann

De Medusa

Inter tres Gorgones, Phorci filias, erat Medusa femina monstruosa. Quicumque os eius anguibus crinitum intuebatur, in lapidem mutabatur.



Perseus, postquam Athena dea adiutrice caput Medusae amputavit

Perseus, Iovis filius, postquam adolevit, Seripho profectus est, ut Medusae caput amputaret. Iter longum erat, nam monstrum in regione deserta ultra Oceanum habitabat. Perseus, vir prudentissimus, vultu averso monstro dormienti appropinquavit et ei caput amputavit. Quod secum abstulit. Sorores Medusae, ira incensae, statim Perseus capere et interficere voluerunt. Sed frustra. Perseus enim pilleum a nymphis acceptum induerat. Quam ob rem mortem effugere et incolumis domum reverti potuit.

Barbara Maier

ERRATA

in Rumoris Varii fasciculo	in pagina	falso impressum est	forma recta imprimi debit
2/99	41, l. 29	vix mihi mit consilium	vix mihi fuit consilium

AENIGMA

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

1. urbs Graeca, qua Graeci Troiam navigaturi irascente Diana dea retenti sunt
2. avis nocturna
3. quid luna, sol, stella, lampas fecit (perfectum!)
4. arbor quaedam (Dat.sg.)
5. suppetens

Daniel Weissmann

A bonis potestatibus contacti...

Pastor animarum evangelicus Germanus nomine Theodericus (vulgo: Dietrich) Bonhoeffer tempore regiminis nationalis socialistici, quod dicitur, anno 1944° incarceratus, capitis damnatus necatusque est, quod fortiter et strenue contra regimen et ideologiam scelestam Hitlerianam pugnauerat. Cum in carcere ab omnibus suis separatus diram obitus sui ultimi diem expectaret, non desperabat, sed in Deum eiusque caritatem

confidens suos carmine illo celeberrimo consolatus est, quod inscribitur *Von guten Mächten wunderbar geborgen*. Bonas potestates divinas opposuit isti potestati humanae crudelissimae, quae iura humana divinaque neglegens tyrannidem intolerabilem construxerat et super totum orbem terrarum expandere in animo habebat. Ista potestas interea sicut somnium malum praeteriit, illae autem bonae potestates manebunt in aeternum...

Viribus meis modestis, quibus ingenium Theoderici Bonhoeffer numquam adaequare possum, carmen eius linguam Latinam transferre conatus sum.

1.

A bonis potestatibus conclusus affectus miro et solacio diebus novi anni his sum usus vobiscum, cum sit nunc occasio.

Von guten Mächten treu und still umgeben, behütet und getröstet wunderbar, so will ich diese Tage mit euch leben und mit euch gehen in ein neues Jahr.

Verba repetenda:

Refrain:

A bonis potestatibus contecti venturis aequo stamus animo. A Deo enim vivimus protecti per totum diem et perpetuo.

Von guten Mächten wunderbar geborgen, erwarten wir getrost, was kommen mag. Gott ist mit uns am Abend und am Morgen und ganz gewiss an jedem neuen Tag.

2.

Praeterita sunt nostrum cor pressura et temporis iam acti onera. In Te, mi Deus, nunc sit inventura salutem iam promissam anima.

Noch will das Alte unsre Herzen quälen, noch drückt uns böser Tage schwere Last. Ach, Herr, gib unsren aufgescheuchten Seelen das Heil, das Du für sie bereitet hast.

3.

Et calicem si nobis das amarum doloris plenum usque marginem, sumamus illud poculum curarum per manum tuam diligibilem.

Und reichst Du uns den schweren Kelch, den bittem, des Leids, gefüllt bis an den höchsten Rand, so nehmen wir ihn dankbar ohne Zittern aus deiner guten und geliebten Hand.

4.

Candelas, quaeso, hodie accendas, quas nostris attulisti tenebris. Ut una simus, rogo Te, intendas nobisque lucem dato miseris.

Lass warm und still die Kerzen heute flammen, die Du in unsre Dunkelheit gebracht, führ, wenn es sein kann, alle uns zusammen. Wir wissen es: Dein Licht scheint in der Nacht.

5.

Quiete nos profunda circumdante audire sine nos plenissimum mundorum sonum, quo se auctitante auditur laus divina hominum.

Wenn sich die Stille tief nun um uns breitet, so lass uns hören jenen vollen Klang der Welt, die unsichtbar sich um uns weitet: All Deiner guten Kinder Lobgesang.

Martin Meier

Modus carminis 'A bonis potestatibus...'

The musical score is written in G major (one sharp) and 4/4 time. It consists of five staves of music. The first staff begins with a treble clef and a key signature of one sharp (F#). The melody is simple and homophonic. Chords are indicated by letters above the notes: D, A, h, G. The second staff continues the melody with chords e, A7, D, A. The third staff has chords h, G, D, G, D. The fourth staff includes the instruction 'Verba repetenda' and has chords D, A, h, G, h, e, A, D, A, h. The fifth staff ends with chords G, A, G, D. The music concludes with a final cadence.

De origine signorum imaginumque in pellem incisorum

Iam antiquissimis temporibus ars ea divulgata est. Et homines eiusdem generis et homines singuli imaginibus signisque incisis ornabantur. Romani autem hominibus scelestis et militibus mercenariis stigmata inurebant.



Signum in pellem
incisum

Primis Christianis impetu persecutionum vexatis stigmata vi accepta magno honori erant. Postea, cum Christiani meliore condicione uterentur, stigmata nihili aestimabantur. Octavo p. Chr. n. saeculo ecclesia signa incisa, quae opera diaboli credebantur, vetabat. Tamen signa quaedam admittebantur. Constat peregrinos Hierosolyma iter facientes signum crucis vel alias imagines religionis Christianae proprias in brachiis habuisse. Decimo octavo p. Chr. n. saeculo mos ornamentorum incisorum denuo multum valebat. Nam James Cook, ille navis praefectus, ad insulam

Tahitiā (Tahiti) pervenerat, quae postea ab omnibus navigatoribus velut paradisi terrestris describebatur. Tum multi incolae Europae signa 'hominum innocentium' imitari conabantur. Insulae princeps, nomine Omai, qui domus divitum Londinii frequentabat, signis suis quasi gaudia paradisi terrestris transmittere videbatur. Magnus numerus hominum, qui numquam insulam hominum liberorum innocentiumque viderant, imagines incidendas vehementer petebant. Erant praecipue nautae militesque.

Barbara Maier

Ascona vicus Helveticus castaneam vescam celebrat

Per multa saecula homines regionum meridianarum famem castaneis vescis depellere conabantur. Incolae regionis illius, nomine Ticino, in longinquas Europae terras iter faciebant, ut ibi castaneas venditarent. Diu castanea vesca victus pauperum putabatur. Nunc autem praecipuo honore afficitur. Incolae Asconae autumnō hoc primum dies festos castaneis dedicatos habebunt. Mense Octobri enim castaneae maturae colliguntur. In


viis, cauponis, deversoriis cibi e castaneis facti parabuntur. Saltabitur quoque atque cantabitur. Fabri res e ligno castaneo factas exponunt. Agricolae vinum caseumque vendent. Re vera, 500 chiliogramma castanearum hospitibus visendi causa venientibus gratuito distribuentur. Itaque castanea vesca in omnium animis atque ore versabitur.

Barbara Maier



Ascona, vicus Helveticus

De domibus Podiensibus



In Gallis, provincia Biturricensi, civitate Aniciensi, quam vulgus Podium S. Mariae nominat, est ecclesia miraculorum frequentia celebris, reliquiis, sanctorum ditata, clero populoque honorata, et inter alias praecipuas sanctae Dei genitricis Mariae memoriis frequentata. In huius domo, quam coenaculum refectionis nominant, non aranea nec musca potest, et si inferatur, diu manere, quinimo

vel illico moritur, vel fuga miserae suae vitae confulens avolat, aut inter manus tenentis elabitur. Sed et in latrina Canonicae Podiensis nullus unquam foetor eructat, nullus corrupti aeris putor sentitur, cum sit locus in monte prominens et ab omniaquarum fluvio alienus. Rem expertam loquar, ait Gervasius Tilleberensis, Mareschalcus Regni Arelatensis, saeculo XII^o: est in regno Arelatensi, provincia Aquensi vicus Bariolus nomine, in quo Canonica singularis fundata est, antiquitate veneranda, possessionibus honorifice fundata, hospitalitate vicinis ecclesiis invidiosa. In hac est refectorium ab antiquo aedificatum, in quo nulla musca detineri potest. Huius rei novitatem mihi per auditum cognitam ad probationem per experimentum ducturus, accessi sedulus explorator: ficomellis vel cuiusvis pinguedinis linimento scutellis repletis cum muscae, ut assolent, insiderent, profecto rem rumore comperiens veriolem, volens fallaciam ingeniosam cogitationis humanae frustratam quadam violentia adiuvere, muscarum venator effectus, praedam in refectorio melli, lacti ac pinguedini supersterno. Tunc maior excrevit admiratio, cum vim animi et violentiam corporis a me tentatam perpendo cassari, sicque tum fide facta de auditis stupor est augmentatus. Porro in Campania, civitate Neapolitana, scimus Virgilium arte mathematica muscam erexisse aeneam, quae tantae virtutis in se habuit experimentum, quod, dum in loco constituto perseveravit integra, civitatem late spatiosam nulla musca ingrediebatur.

rettulit STELLA GITTA

De televisione

Persaepe pericula emissionum televisificarum commemorantur. Sane iustum est non modo mala sed etiam bona televisionis indici.

Nuper legi in anthologia quadam hunc hymnum televisioni dedicatum. Auctor eius est quidam H. Maffacini:

O scrinium mirabile,
visu tenaci corripis
longinqua, reddis proximum
litus marisque terminum....

O scrinium telopseos,
paci loquens praeconium
longinqua redde proxima,
gestus et ora gentium.

Spectator, adsta immobilis;
hinc ducitur per aequora
intacta puppis caerulos
fluctus marinos navigans:

Deserta, montes conspice,
urbes frequentes civibus,
plagas adustas solibus,
agrosque laetos messibus...

Barbara Maier


Mulier calva erit

Novissimum mille annorum spatium incipiens novissimam mulieris imaginem urget exigitque: Tempus iam adest cunctum permutandi aspectum scilicet a capite, quod corporis prima pars est. Post longissima saecula promissarum comarum innumeris ornatibus compositarum, quam prosperrime adveniat mulier sine capillis, alias calva, scilicet tota calva.

Mulier tertii millennii p.Chr.n. calva erit. Non vera calvities profecto erit, non a quodam tristi morbo aliisve obscuris causis effecta, sed ficta et simulata una cupiditate mutandi quadamque feminea vanitate effecta et comparata. Quid ergo? Novissima mulier caput ad cutem libentissime tondebit reliquos capillos deinde navicula rasura: Capite aperto saneque decalvato non solum venustissima sed etiam incredibilis visu, mira et insolita tamquam ab ignotis mundis ac remotis errantibus stellis plane ante oculos nostros videbitur.

Muliebris aspectus permutatur, capillo omnino nudum caput lucidissimum nitet saneque levissimum videtur. Machinula erudita manu recta tardissime progreditur et capitis figuram plane assequens capillos recidit; singuli cirri tarde super umeros labuntur, humi denique passim iacent:

magnus sterilisque capillorum acervus fit. Cum caput ad cutem tonsum sit, tempus est novaculam capere et extrema pili vestigia funditus delere. Res peracta est, ecce tandem prosper eventus tanti laboris: Muliebris calva splendida apparet. Mox nihil relinquitur nisi quotidianus novaculae labor ut capillus impediatur quominus renascatur ut antea.



Locum interretialem ad hoc Anglice et Italice una cum societate una ex omnibus summa voluntate institui ut novissimum muliebris capitis inducam universoque orbi terrarum pervulgem:

<http://marina.fortunecity.com/sanpedro/357>



Etiam certamen indictum est, ut PULCHERRIMA OMNIUM DOMINA CALVA anno bis millesimo eligatur. Dominae dominulaeque, ubicumque terrarum estis, quaecumque aetas vestra et natio et lingua sint, in hoc singulare certamen descendere festinate: Competitrices omnes praemiis honestabuntur. Ea, quae machinulae naviculaeque comam immolans promississimos sive longissimos capillos commiserit primo praemio maxime dignitate merito honestabitur. In certamen descendite, universae mulieres, una condicione ut, una cum nominibus inscriptione cursualique vestra imagines photographicas vestras et cum

capillis et sine capillis ad hanc inscriptionem cursualem quam primum mittatis:

FLORINDO DI MONACO, Via Roma 1, I-81043 CAPUA (CASERTA), ITALIA
sive ad flodim@tin.it

Minimum duo esse photographicae imagines calvicii vestrae debent, quae et anteriorem cum vultu et posteriorem capitis absolute tonsam partem quam clarissime expriment.

Summam delectationem et optima praemia omnibus aemulis precor!

Florindo Di Monaco

Utrum horum magistri fungi munere dicamus?

Praeceptor reprehendit imperitum
verbis discipulum pigrum severis.

"Fustes nonne times tui parentis?
Continget tibi, crede, vita egena,
quod nulli officio probe exsequendo
aptum te esse putabit acre vulgus."

Pravus furcifer haec maligna reddit
mox responsa bono suo magistro:

"Nos tandem cruciare desine istis
gerris, quas videt omnis esse inanes;
an vere tribui aestimas honestis
nostro praemia saeculo decora?"

Immo, nonne satis patet frequenter
fures ad solidos venire honores?
Iratum fore mi cave rearis
haec ob facta patrem: suam renoscet (1)

re vera subolem bene educatam
ad nullum accipiendum inertiore
ictum debilitate conticentis."

Doctor (2) tum quid agit nove misellus?
Paulisper meditatus, illi alumno
consentit potiora iudicanti.

(metrum Phalaecium)

- 1) scil. agnosceret: hoc verbum adhibetur a Paulino Nolano, carm. 15,342: "Ad primos pavefacta sonos vix nota renoscit / alloquia."
- 2) cfr. Hor. sat. 1,1,26: "pueris dant crustula blandi / doctores, elementa velint ut discere prima."

Orestes Carbonero

SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis (omnino XVI fuerunt) sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium: secundum praemium: tertium praemium:

Orestes Carbonero
Corso IV Novembre 9
I-15100 Alessandria
Italia

Martin Stadelmann
Adlerweg 12
3098 Köniz

Brian R. Bishop
155 Leighton Avenue
Leigh-on-Sea (Essex)
Britannia

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia eis mox mittentur!

1	2	3	4	5	6	7	8					
A	P	H	R	O	D	I	S	I	A			
9	R	A	U	C	E	10	N	E	M			
11	C	C	I	12	13	N	E	O	14	C	O	
15	H	I	C	16	O	S	17	V	A	E		
18	I	F	19	A	P	I	20	A	21	S	N	
22	L	I	23	M	B	O	24	C	25	A	T	I
26	O	C	C	U	L	U	E	R	A	S		
27	C	A	28	I	U	R	A	N	S			
29	H	E	30	R	M	A	E	32	T	E	I	
U*	33	E	X	34	A	R	A	M				
35	S	U	A	V	I	S	S	I	M	A		

* vel (Graece): O

Rumoris Varii domus editoria

DE PUTEO ET PENDULO

(The Pit and the Pendulum, 1843)

Edgarii Allani Poe fabula formidulosa in Latinum conversa

Pars terita et ultima

Primo bestiae voraces sunt territae et stupefactae re mutata - motione intermissa. Absterritae sunt quasi signo essent monitae; multae cisternam petiverunt. Sed hoc per momentum tantum temporis factum est. Non frustra rationem habueram voracitatis rattorum. Cum animadvertissent me remanere immotum, unus aut duo ex audacissimis cingulum odorati compagem insiluerunt. Quod visum est signum impetus generalis. E cisterna novis agminibus incursavere. Ligno adhaerentes - trans lignum currentes sescenti ratti me transiliebant. Qui nullo modo perturbati sunt motione penduli mensurata. Eius orbitam evitantes allaborabant ligamento inuncto. Ratti supra me borriebant, ratti me opprimebant catervis magis magisque augescentibus. Qui reptabant trans guttur meum; labia eorum frigida petebant mea; fere suffocabar stipatis istis prementibus; taedio ineffabili inflabatur pectus, cor debilitabatur lentitudine gravissima. At una minuta post sensi luctationem mox finitum iri. Plane iam sensi ligamentum solvi. Scivi idem pluribus quam uno loco esse dissectum. Animo constantiore quam humano iacebam *quietus*.

Neque computando erraveram - neque frustra perduraveram. Denique sensi me esse *liberum*. Cingulum de corpore meo pendeat in lacinias discissum. Sed pendulum pulsans iam impressum est pectori meo. Quo divisum erat sargium vestimenti mei. Quo incisum erat linum sub eodem situm. Bis etiam pendulum est oscillatum, ut omnis nervus mei percuteretur acri dolore. At advenerat momentum effugiendi. Manu vibrata liberatores mei tumultuose aufugerunt. Firma motione - cauta, obliqua, contracta, lenta - elapsus sum e ligamento circumdato et e captu acinacis. Per momentum, saltim, fui *liber*. Liber! - et in faucibus Inquisitorum! Vix e ligneo lecto horroris egressus eram in lapideum solum custodiae, cum animadverti oscillatione finita machinam infernalem vi invisibili sublatam trahi per lacunar. Hac re percepta desperavi. Procul dubio omnem motionem mei custodiri. Me liberum! - Me uno tantum genere angoris mortiferi evitato deditum esse alii generi morte peiori. Talia mente revolvens excitatus oculos in parietes ferreos, quibus inclusus eram,

coniectos huc illuc movebam. Aliquid insolitum - aliqua mutatio, quam - primo - nescivi distincte aestimare - in conclavi facta erat. Per multas minutas mentis alienatione somniali et tremebunda affectus muginabar vana vagaque coniciens. Quo spatio temporis primo animadverti, unde oreretur lumen sulpureum, quo cella illuminaretur. Quod proficiscebatur e fissura dimidiam fere unciam lata et extendebatur per totam custodiam in basi parietum, qui inde apparentes penitus separati erant a solo. Temptabam, scilicet frustra, aperturam perspicere.

Hoc temptato cum surrexissem, subito cognovi mysterium cellae mutatae. Animadverteram, quamvis lineamenta figurarum parietibus impictarum satis distincta essent, colores videri evanidos et dilutos. Hi colores nunc erant saturati et in praesenti saturabantur stupendo nitore fortissimo, ut sannae spectrorum satanicae praeberent aspectum, quo firmiores quoque nervi quam mei perhorruissent. Daemones torpidis oculis, qui erant vivacitate fera formidabilique, me aspectabant e sescentis locis, ubi antea nihil videram, fulgentes lurido lumine ignis, quem me cogere non poteram, ut animo effectum esse putarem.

Effectum! - Cum maxime respirarem, naribus meis adductus est halitus ferri calefacti! Custodia pervasa est nidore suffocabili! Omni momento temporis fortius exardescebant oculi duri in me cruciantem coniecti! Color cruentus saturior suffusus est pictis horroribus sanguinis. Anhelabam! Luctabar spiritum ducere! Dubium non erat de consilio tortorum meorum - oh! - maxime immiser cordi! Oh! En viros maxime daemonicos! Metallo ardenti absterritus aufugi in cellam mediam. Cum cogitarem de excidio igneo imminente, opinio frigoris cisternae animum meum subiit tamquam medela. Me proripui ad marginem eius mortiferam. Conieci oculos meos intentos deorsum. Fulgore e tecto ardescenti illuminati sunt cisternae recessus interni. At atroci momento temporis mens mea recusavit, ne comprehenderet id quod vidi. Denique reluctans coactus sum, ut paterer hanc visionem viam ingredi in animum meum - eandem quasi inuri cerebro meo horrenti. - Oh! Quomodo dicam! - oh! Horreo! - oh! Omnem horrorem nisi istum! Clamore sublato de margine putei aufugi et faciem meam manibus condidi - amariter lacrimans.

Calore rapide exacto iterum sursum suspexi horripilans quasi accedente febris querquera. Facta erat mutatio cellae secunda - nunc autem apparuit mutatam esse *formam*. Ut antea, primo frustra factum est, ut conarer aestimare aut intellegere, quid fieret. Sed haud diu dubium mihi est relictum. Cum fuga mea duplici excitati essent Inquisitores, ut ulciscerentur, non iam

licuit nugari cum *Rege Terrorum*. Spatium fuerat quadratum. Vidi duos angulorum eius ferreorum nunc esse acutos - ergo duo reliqui erant obtusi. Differentia terribilis celeriter exacta est cum submisso crepitu aut gemitu. Momento post compartimentum mutatum erat in formam rhombi. At conversio hic non est finita - neque sperabam neque desiderabam eam finitum iri. Amplecti volebam parietes rubros tamquam vestimentum pacis aeternae. *'Moriar'*, inquam, *'omni modo nisi in puteo!'* Me stultum! Num ignoravi ferum ardens eo fine admoveri, ut urgerer in *puteum*? Num resistere possem eius ardori? An, si ita fuit, possem sustinere eius pressionem? Nunc autem rhombus fiebat magis magisque planus, tam rapide, ut nullum tempus mihi restaret contemplanti. Iam rhombi pars media, profecto iam maxima eius pars superposita est gurgiti cisternae hianti. Terrore repulsus sum - at parietibus coartatis apprimerebar inevitabiliter. Denique saucio corpori meo micanti vix restitit uncialis pars soli firmi, in qua pedibus consisterem. Desii luctari, sed horrorem animae meae expressi clamore desperato unico et magno et longo et finali. Sensi me ad marginem titubare - averti oculos - audivi dissonas voces humanas! Audivi magnum concentum multarum tubarum! Audivi fuscis crepitis similes sescentis tonitruis! Parietes ignei sunt remoti! Bracchio extenso correptum est bracchium meum proprium, cum animo relictus incisurus essem in abyssum. Fuit bracchium imperatoris *Lasalle*. Toletum erat expugnatum ab exercitu Francogallorum. Inquisitores erant in manibus hostium.

FINIS

Anglice scripsit
EDGAR ALLAN POE

In Latinum convertit
NICOLAUS GROSS

Adnotationes interpretis

Ad hanc fabulam Edgarii Allani Poe Latine reddendam usus sum duabus editionibus textus originalis, quae sunt:

GALLOWAY, David (ed.): Edgar Allan Poe - The Fall of the House of Usher and other writings. Harmondsworth/Middlesex (Penguin Classics) 1986.

KENNEDY, J. Gerald (ed.): Edgar Allan Poe - Arthur Gordon Pym and related tales. Oxford/New York (Oxford University Press) 1994.

Fabula putei et penduli primo edita est a. 1843 in annuis commentariis nataliciis q.t. "The Gift" (i.e. Donum), qui - mirum dictu - legebantur a mulieribus domisedis. Duobus annis post in commentariis, q.t. "The Broadway Journal", editus est textus ab auctore retractatus (Galloway, op.mem., p. 531). Philologi multas afferunt fabulas, quibus ut exemplis Poe videatur usus fuisse; id opus, quod Poe verisimillime adhibuit, est romanica fabula epistularis Caroli (Charles) Brockden Americani a. 1799 edita, c.t. "Edgar Huntly". In hac fabula plurimum valet fovea quaedam horribilis (cfr. Kindlers Lexikon der Weltliteratur, s.v. The Pit and the Pendulum). - De Inquisitione Toletana Poe legerat in opere Johannis (Jean) Llorente, c.t. "History of the Inquisition of Spain" (Kennedy, op.mem., p. 298). Idem auctor memorat a. 1820 a *Tribunali secreto* adhibitum esse pendulum demissum ad supplicium capitale exsequendum. De cella, ut ita dicamus, deminutiva (Kennedy, 1.c.: "the shrinking chamber") Poe videtur legisse in fabula commentariorum *Blackwood's Magazine* a. 1830 edita ("The Iron Shroud") (Kennedy, 1.c.).

Tetrastichum initiale, quod complectitur duo disticha, est originaliter Latinum. Inscriptio autem Parisina huiusmodi non est nota neque fuerunt portae in foro Parisino a Poe memorato. Itaque Kennedy (1.c.) opinatur ipsum Edgarium Allanum haec disticha Latina composuisse. ("Poe may well have composed the lines himself; there were no gates at the Parisian market to which he refers.").

actus fidei: orig. *auto da fé* (Lusitanice).

aedicula, -ae f.: orig. *niche*. Anguli enim nihil fuerunt nisi nonnulli loci depressi aut aediculae variis distantibus parietibus immisae. i.e. orig.: *The angles were simply those of a few slight depressions, or niches, at odd intervals*. Cfr. Erich Pertsch, Langenscheidts Grosses Schulwörterbuch Lateinisch-Deutsch, Erweiterte Neuauflage 1983, Berlin, p. 53, s.v. aedicula: "...oft nur eine Wandnische zur Aufnahme eines Götterbildes".

angor anxius: Aegrotabam - mortifere aegrotabam longo isto angore anxio. orig. *I was sick - sick unto death with that long agony*.

mortifere aegrotare: cfr. PLIN. ep. 3,16,3: Aegrotabat Caecina Paetus maritus eius, aegrotabat et filius, uterque mortifere, ut videbatur. **angor anxius:** cfr. LUCR. nat. 3,992-994:

Sed Tityos nobis hic est, in amore iacentem
quem volucres lacerant atque exest *anxius* angor
aut alia quavis scindunt cuppedine curae.

ἡ τοῦ χρόνου ἄρπη καρχαρόδου: orig. *die scharfe Sichel des Chronos* (Ernst Jünger). Hesiodus in Theogonia sua narrat Cronum Titanem a Gaea matre instigatum falce evirasse patrem suum Uranum. Cfr. HES. theog. 178-182:

...ὁ δ' ἐκ λοχέοιο πάις (sc. Cronus) ὠρέξατο χεῖρὶ
σκαίῃ, δεξιτερῇ δὲ πελώριον ἔλλαβεν ἄρπην,
μακρὴν καρχαρόδοντα, φίλου δ' ἀπὸ μήδεα πατρὸς
ἔσσυμένως ἤμησε, πάλιν δ' ἔρριψε φέρεσθαι
ἐξοπίσω...

Philosophi Orphici et Stoici Cronum per errorem putabant eundem esse ac Chronum, i.e. Tempus (cfr. H. LeBonniec, Art. Kronos, in: dtv-Lexikon der Antike, Religion, Mythologie, München 1970, II, t. 2, p.49: "...Mit Kronos befassten sich besonders auch die Orphiker und Stoiker, die Kronos fälschlich als χρόνος, Zeit, deuteten." - Ad hanc interpretationem nominis Croni alludunt Ernestus Jünger (1.1.) et Edgarius Allanus Poe: *It was the painted figure of Time as he is commonly represented, save that, in lieu of a scythe, he held what, at a casual glance, I supposed to be the pictured image of a huge pendulum such as we see on antique clocks*. - i.e. Latine: Quae fuit picta figura ipsius Χρόνου, qualis solet exhiberi, excepto eo, quod loco **falcis** idem tenebat aliquid, quod primo aspectu putavi esse imaginem pictam vasti penduli, quale videmus in antiquis horologiis.

borrio, borrire: orig. *to swarm: They pressed - they swarmed upon me in ever accumulating heaps*. i.e. Latine: Ratti supra me borriebant, ratti me opprimebant catervis magis magisque augescentibus. - borrire: i.q. abundare et celeriter huc illuc movere. Cfr. Walde-Hofmann, Lateinisches Etymologisches Wörterbuch, t.I, ed .4., 1965, p. 112: "borrio,-ire 'wimmeln' (Apul. met. 8,22): lautmalend wie vl. ähnl. bair.-österr. wur(e)ln (neben wusel, wuzeln, wuedeln) 'wimmeln'...". Thesaurus linguae Latinae 2,2134,20-22 borrio,-ire (vox onomatopoeica, Th.) APUL. met. 8,22 cuius (arboris) in ipso carioso stipite inhabitantium formicarum nidificia borriebant (borribant fort. F1, buriebant F).

+compartimentum, -i n.: orig. *apartment*. cfr. Christian HELFER, Lexicon Auxiliare, 3.a editio, Saraviponti 1991, p. 66, s.v. Abteil.

indeterminate (adv.): orig. *indeterminately*. Indeterminate: v. Georges, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, ed. 14, Hannover 1976, t.II, col.190, s.v. indeterminate: BOETH. Aristot. elench. soph. 3, p. 726.

Lasalle: *Antoine-Chevalier-Louis Colbert, Comte de Lasalle*, Imperator (dux militum), a. 1808 exercitum duxit in urbem Toletum. Iosephus Napoleo, frater Magni Napoleonis, factus est rex Hispaniae et ad quoddam tempus aliquatenus impedivit actiones Inquisitorum Hispanicorum. Tamen idem perrexerunt haereticos (quos dicebant) persequi, in vincula conicere, damnare, torquere, supplicio capitis afficere (Kennedy, op.mem., p. 297). Anno 1834 tandem Inquisitio Hispanica est abolita.

muginari, -or: muginabar vana vagaque coniciens. orig. *I busied myself in vain, unconnected conjectures*. CIC. Att. 16,12,7: dum tu muginaris nec mihi quicquam rescribis. PAUL. Fest. p. 147M. muginari est nugari et quasi tarde conari.

nidor suffocabilis: orig. *a suffocating odor*. Cfr. Georges, Ausführliches Handwörterbuch, ed. 14., Hannover 1976, t.II, col. 2909, s.v. suffocabilis: "erstickend, locus, Cael. Aur. de morb. acut. 1,9,59."

pestis, -is f.: orig. *vermin*. Voraces ut erant, hae **pestes** (sc. ratti) saepe dentes suos acutos digitis meis impingebant. i.e. orig.: *In their voracity the vermin frequently fastened their sharp fangs in my fingers*. Cfr. COLUM. 9,14,2: Vermiculi quoque, qui tiniae vocantur, item papillones enecandi sunt. Quae **pestes** plerumque favis adhaerentes decidunt, si fimo medullam bubulam misceas et his incensis nidorem admoveas.

pila (-ae f.) **Galvanica:** orig. *galvanic battery*.

+rattus, -i m. (mediaevale): orig. *rat*. Cfr. HELFER, op. mem., p. 445, s.v. Ratte: "(Mus rattus) +rattus, -i m. (DuCange)..."

+sargium, -ii n. (mediaevale): orig. *serge*. Cfr. HELFER, op. mem., p. 502, s.v. Serge: "(Gewebe) +sargium, -i n. (c.1135, Lath. 65,420)." Quod verbum Anglicum et Francogallicum ducitur a verbo antiquo, q.e. sericum (cfr. Albert DAUZAT, Dictionnaire étymologique de la langue Française, Paris 1938, p. 663), sed non iam significat i.q. sericum, est genus telae speciale; itaque verbum mediaevale nobis est necessarium.

ultima Thule omnium poenarum: orig. *the Ultima Thule of all their punishments*. i.e. omnium poenarum pessima et gravissima, quas Inquisitores Toletani excogitare potuerunt. Haec locutio Edgario Allano Poe erat in deliciis (Kennedy, p. 298). *Ultima Thule* ad verbum significat punctum maxime boreale geographis antiquis notum. Fortasse fuit Groenlandia aut Islandia aut pars Scandinaviae. cfr. VERG. Georg. I, 29-31:

an deus immensi venias maris ac tua nautae
numina sola colant, tibi serviat *ultima Thule*,
teque sibi generum Tethys emat omnibus undis.

Fabula Putei et penduli habet maximam expectationem omnium, quas umquam legi; neque animo fingere possum ullam fabulam exstare, qua lector maiore expectatione suspendatur. Itaque studui Puteum et pendulum in Latinum convertere quam aptissime et fidelissime. Num mihi contigerit, ut huic incepto difficili satisfacerem, censeant censores aequi atque periti.

NICOLAUS GROSS
Germanus Coreanensis

- Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS VARIVS für mich selber)

- Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist.) _____

Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte frankieren

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Rosenweg 7
CH - 8353 Elgg


PP/Journal

4702 Oensingen

4/99

KALENDIS NOVEMBRIBUS

MCMXCIX



RVMOR VARIVS



TOMVS 22

FASC. 130